



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. III. De modo in Christi Seruatoris nostri paßionis meditatione
obseruandi & de compaßionis affectu inde eruendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

Sanctus muleus cum lachrymis & suspiriis respondit: Me multum affligit, & defleo magna tormenta & cruciatus, quos DOMINVS MEVS IESVS CHRISTVS sine vlla culpa passus est, & deploro nos homines summi beneficii tam esse oblitos, cum tamen passionis eius causa sumus.

CAPVT III.

De modo in Christi Seruatoris nostri passionis meditatione obseruando, & de compassionis affectu inde eruendo.

Modus meditando Christi passionem.

Simile.

MODUS in Christi passionis meditatione seruandus, ille fere est, quem Sancti & spiritualis vitæ Magistri docent in oratione obseruari oportere. In qua monent totum tempus non discurrendo per totam historiam & meditandis consumendum, sed voluntatem, præsertim affectibus, & desideriis mouendam esse: quæ prius in animo formantur, vt postea in actum deducantur, & huic potissimum in oratione insistendum & immorandum, vt enim ille, qui fodit, vt aquam quærat, vel thesaurum inueniat, subsistit, neq; tunc amplius fodit, vbi id, quod quærit, inuenit; eodem modo auro & veritatis thesauro & affectus, quem quæris, meditatione & intellectus consideratione reperto; aqua que viua, quam anima tua petit & sitit, effossa, non altius intellectu fodiendum, neque penetrandum, sed in his voluntatis affectibus & desideriis subsistendum, donec hac aqua te satiaris & sitim expleueris, & tibi satisfeceris. Hic enim finis est, qui in oratione quæritur, & fructus, qui eruitur; ideoque ad hanc omnes meditationes, considerationes, & intellectus discursus dirigendi sunt.

Idem ergo hic modus in Christi Ser-

uatoris nostri passionis meditatione seruandus. Et hinc in medium adferemus adfectus ex meditatione eruendos, & quibus insistendum sit, annotantes aliquas considerationes, quæ hos in nobis gignant & excitent.

Multi sunt affectus, quibus magno cum fructu nobis insistere & immorari licet, qui tamen ab illis, qui hæc tractant, ad septem adfectuum genera reducuntur.

Primus est compassio: Aliquam alicui compati, & affligi ob eius afflictionem, & dolorem ex eius dolore capere, illum in tribulationibus, sensu & cordis lachrymis, comitari, quo videtur cruciatus & dolor vtrique participari, & eo ipso, quod in me recipio, videtur alter leuari, & eius dolor & afflictio minui. Vt contra, dum quis ostendit se, alterius malo & infortunio gaudere, irridet, illicque illudit; eiusdem cruciatum, & dolorem auget, & plus ab altero sentitur.

Et licet verum sit, nos hoc modo facere non posse, vt Christi dolores & cruciatus mitigentur, quod iam transferunt, tamen illi nostra hæc compassio gratissima est, quod ea certa quadam ratione, ipsius dolores & cruciatus, nostros faciamus. Hinc est, quod dicat Sanctus Apostolus Paulus: ad Roman. 8. v. 17. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, et & conglorificemur.* Si sumamus & in nos transferamus CHRISTI dolores, iidem condolendo, simul & gloriæ hæredes cum illo erimus.

Ad hunc compassionis adfectum excitandum, multum conduxerit dolorum, cruciatuum, & tormentorum, quæ CHRISTVS passus est, magnitudinem considerare, quod, vt aiunt Theologi & Sancti, maxima fuerunt, quæ quis in hac vita fuerit passus, vel pati poterit, secundum illud Ieremiæ dictum: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.*

Primum,

Primum, nulla eius corporis pars fuit, quæ non grauissimos dolores & cruciatus pateretur. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Manus & pedes clavis perfossi, caput corona spinea confixum, facies sputis fœdata, corpus flagris laceratum, & crucis tormento extensum. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.*

Nec solum in corpore stetit dolor, sed & in animam redundauit, licet enim natura humana diuinæ personæ vnita fuerit, tamen sensit & passionis amaritudinem, quasi vnio illa non fuisset. His accedit, quod omni solatio carere voluerit, quo dolor ille maior esset.

Idque erat, quod in cruce dixerit. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. vers. 46. Martyres in suis tormentis cœlesti & diuino solatio fruebantur, quod illos non fortiter solum, sed & hilariter tormenta pati faciebat. Christus vero Redemptor noster, vt plus nostri amore pateretur, vndique consolationi, & dolorum mitigationi aditum præcepit, tam quæ cœlo, quam quæ terra adferri poterat, quantum ad inferiorem partem attinet. Ideoque non solum à discipulis, sed & à patre derelictus fuit. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*, quamuis morte & pœna non dignus, quod liber à peccato essem.

Ad CHRISTI dolorum magnitudinem intelligendam, sufficit, quod ipse tantum de iisdem cogitans, sanguinem in horto suaderit, tantaque id abundantia, vt in terram fluxerit; quid ergo futurum erat in passione, si sola cogitatio tantum doloris & cruciatus attulerit.

Denique tanti eius fuisse dolores & tormenta, vt sancti dicant, quod nullus inter illa sine miraculo viuere posset, quo vitam seruaret: ideoque necessarium fuisse Christo diuinitatem hic auxilio accersere, ne inter illa moreretur. Quod vero illic diuinitas operabatur, nõ erat, ne dolores sentiret, sed ne nimius

dolor & cruciatus illi mortem inferret, vt tanto plus pati posset. Vnde Dei misericordiam & liberalitatem considerare & ponderare licet, qui miracula faciebat, vt sancti Martyres tormenta non sentirent, & in se eadem operabatur, vt plus pateretur, & plus nostri amore sentiret.

Præter exteriores hos dolores, qui corpus excruciabant, etiam vt ante diximus, alii interiores dolores, immediate sanctissimam eius animam affligebant; quia prioribus maiores fuerunt. Ab ipso enim conceptionis momento semper ei obuersabantur & præsentibus habebat hominum errores & peccata, ab orbis exordio admissa, & omnia ad mundi vsque finem committenda. Et quia vna ex parte tam Deum amabat, & iniurias & offensiones suas esse videbat, altera ex parte tam animas diligebat, & eis eadem peccata damno & perditioni esse & quod quantumuis ille mortem & passionem, vt illis succurreret, libens offerret; tamen tam innumeræ erant futura animæ, quæ eandem in commodum suum non verterent, sed potius mortem vitæ præponerent; erat ei hoc vt gladius anceps, illum vtrinque vulnerans partim ob Dei offensionem, partim ob animarum perditionem & condemnationem.

Hinc constat nec dici nec quidem cogitari posse incomparabiles illos dolores, quibus sanctissima illa anima affligebatur. Quæ omnia tormentis, doloribus & iniuriis connexa & in oratione, quam in horto habebat, illi ante oculos posita, sanguineum sudorem expresserunt, tanta copia, vt in terram deflueret.

Quicquid præterea tota vita passus est, semper oculis eius obuersabatur ab ipso conceptionis puncto, vsq; in illud momentum, quo in cruce exspirauit, secundum illud Prophetæ, Psalm 37. vers. 18. *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Vnde intelligi potest totam Christi vitam fuisse continuum passionis diem. Et sapius:

Interiorum dolorum fontes varii.

pius maius tormentum, & dolor esse solet, aduersitatem & cruciatum expectare, quam pati. Sic ut tota eius vita immensorum dolorum mare fuerit, qui noctu & interdiu sine mensura aliqua sanctissimam illam animam affligebant.

Quicumque ergo hæc speciatim & per singulas partes attenderit & examinabit, quodque qui patitur, Dei filius sit, & pro nobis hæc patitur, & puro puro nostri amore, si ad compassionem non moueatur, saxo durius cor sit illi necesse est.

Bern. ser. ser.
4. hebdom.
sanctæ Mat.
27. 45. & 51.

Hinc ait Sanctus Bernardus, quandoquidem terra tremuit, petra scissæ sunt, monumenta aperia, velum templi scissum, & Sol & Luna obscurantur; etiam æquum esse, ut & nos iis condoleamus, quæ Dominus pro nobis patitur. Non fas nos petris duriores esse, & creaturis rationis expertibus insensibiliore: dolore ergo cor nostrum scindatur, & viscera diuidantur. *Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Absolon fili mi, Fili mi Absolon*, dicebat Rex Dauid, 2. Reg. 8. vers. 33. Si ille filii mortem plangens, qui ramen eum persequeretur, & regno exuere volebat; talia proferebat; quanto magis nos huiusmodi conuenit, filii Dei mortem plangentes, qui ideo mortuus est, ut nos captiuos redimeret, & Patris æterni regno donaret.

CAPVT IV.

De doloris affectu, & peccatorum nostrorum contritione, quæ ex Domini nostri Iesu Christi passionis meditatione eruenda.

2. Affectus
est Dolor de
peccatis.

Secundus affectus, quo nos exercere, & ex Christi passionis meditatione erui oportet, est dolor & peccatorum nostrorum contritio. Hic est maxime proprius

fructus, quem inde habere possumus, & ut nobis de grauitate & malitia peccati constet: & remedii consideratione oculos nobis aperire debet, ut magnitudinem infirmitatis agnoscamus. Dicit Sanctus Bernardus: *Agnosce ô homo, quam grauis sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari*: grauitatem vulneris intellige, quod tam preciosa medicina egebat. Nihil tam peccati grauitatem indicat, quamuis infernus ei æternum debitus adiungatur, quam quod tantum malum, peccatum sit, ut necesse fuerit Deum hominem fieri, ut huic debito fieret satis; alio enim modo secundum iustitiæ rigorem satisfieri nequebat, nam Dei iustitiæ damnus & detrimentum inferebatur.

Offensio enim certo quodammodo infinita erat, quod contra infinitum Deum commissa esset, unde purus homo illi satisfacere non poterat, ob magnum quod inter Deum & purum hominem discrimen est. Necesse ideo erat, ut ille, qui pro eadem satisfactorus erat, infinitæ dignitatis homo esset, ei æqualis, qui iniuriam passus & offensus erat, & illi in bonitate respondens.

Hoc Theologi quodam exemplo declarant. Si quis hubulcus vel rusticus, vilis vel plebeius homo fuisse Regem pulser, vel colaphum impingat; certum est Regem non crediturum sibi satisfactum esse, si illum vilem hominem similitudinem curet fuisse pulsari, aut colaphum infringi, vel etiam ex patibulo suspendi, ducenta vel plura verbera dari, quod tantum inter Regem & illum discriminis sit, quid enim colaphus & iniuria Regi illata cum rustici colapho & morte comparationis habet? Qui ergo Regi satisfacti poterit? Scis quis? Si ille fieret, vel factus esset tantus Rex, quantum ipse est, tunc enim æqualis esset satisfactio, qua Rex contentus esset. Idem & hic contingit: vilis & abiectus homo, puluis & cinis offenderat & iniuria affecerat eceli & gloriæ Regem, impegerat (vita dicam) Deo colaphum, hoc enim, quan-